CONCIO

AD

CLERUM,

HABITA

CANTABRIGIÆ

IN

TEMPLO BEATÆ MARIÆ

APR. XII. MDCCLXII.

PRO GRADU

DOCTORATUS IN SACRA THEOLOGIA;

AUCTORE

JOANNE DELAP, S.T.P.

CANTABRIGIÆ,

TYPIS ACADEMICIS EXCUDIT J. BENTHAM:

Proſtant venales apud G. THURLBOURN & J. WOODYER, et T. & J. MERRILL, Cantabrigiæ; R. & J. DODSLEY, Londini; et D. PRINCE, Oxonii:

M.DCC.LXIII.

CONCIO ad CLERUM.

HEB. xiii. 8.

Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Jesus Christus heri et hodie idem (est), et in secula.

DOMINO nostro in cœlos sublato, Judæi, qui in nomen ejus crediderunt, condiscipulos suos, quos è Gentibus sibi jam conciliaverat Evangelium, vexare plurimum et perturbare cœperunt; quippe qui circumcisionem et Legis Mosaicæ cultum ad salutem necessaria esse asseverabant. Apostoli vero et Presbyteri, ubi commentum audierunt adeo pernicioſum atque à disciplina Christi alienum, in solenni conventu de hac re differebant: et, damnato Judæorum commento, Evangelio vindicabant immunitates suas et præstantiam. Paulus præterea, animosus ille Legis libertatis vindex, in omnibus fere Epistolis super hanc rem et copiose disputat; et *Legem* luculenter probat [a] *pædagogum constitui*, qui nos ad Christum paratos reddat: nihil autem, ubi jam Christus perveniſſet, tali nobis opus esse pædagogo. Ad Hebræos præsertim Epistolæ scriptor, vir gravis et utriusque institutionis rationem doctus, ad hanc metam collineat; nimirum ut probet Christi disciplinæ locum cedere Legem Mosaicam oportere; cujus quidem quasi adumbratio fuerit et præ-

[a] Gal. Cap. 3. Com. 24.

nuncia, derivata inde, ut plurimum rituum ejus et dogmatum virtute: Chriſtus quandoquidem ipſe Summus eſt reapſe Sacerdos, in ſecula duraturus, ſacrificium unum efficax, æterni fœderis et ſalutis auctor, χθὲς, denique, καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας.

Veriſimile eſt, Epiſtolæ ratione habita, Apoſtolum maxime ob inſtitutionis ejus firmitatem et conſtantiam tali charactere Chriſtum inſignîſſe: cogitanti veruntamen mihi haud abs re fore videbatur, nec ab Apoſtoli mente alienum, hac oblata occaſione, quæſtionem, materia graviſſimam, de Chriſti munere, quantum ad mundum primævum, Patriarcharum et ſacrorum vatum ſecula attinet, exercere.—Sic igitur propoſitum ſit, quod, collatis inter ſe Sacræ Scripturæ locis, dijudicetur.

Chriſtus, Legatus ſummus Dei Patris deſignatus, mundi ab omni ævo adminiſtrator exſtitit: Patriarchis autem et Prophetis viſus temporibus diverſis, modis variis Patris voluntatem indicabat, et conſilia ejus exequebatur.

Cum autem, ex propoſito, divina illa Perſona, de qua agimus, *Angelus* vocitetur neceſſe ſit; atque, aſſumpta *hominis* ſpecie, tali nonnunquam fungatur munere quale dignitati ejus parum fortaſſe conſentaneum prima facie exiſtimetur; pauca, quæ hac ratione objectis obviam eant, præſtat perſtringere.

Malachiam in primis audiamus—*Ecce ego*, ſic Judæis annunciat vates, *miſſurus ſum* Angelum *meum, qui expediat viam ante me: et repente veniet in Templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, et* Angelus *Fœderis* (Jeſus ſcilicet Chriſtus) *quo vos delectamini.*[b] Apud Eſaiam etiam Meſſiam annunciantem, ſcriptum eſt; *En* Servus *meus, quem ſuſten-*

[b] Cap. 3. Com. 1.

to, Electus meus quem benigne accipit anima mea: indam ſpiritum meum ipſi; judicium Gentibus proferet.[c] In Epiſtola etiam ad Hebræos Apoſtolus nominatur Chriſtus: κατανοήσατε τὸν Ἀπόστολον — ἡμῶν Χριστὸν Ἰησοῦν.[d] Ad Galatas ſcribit Paulus, ὡς Ἄγγελον Θεοῦ ἐδέξασθέ με, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν.[e] A LXX Interpretibus μεγάλης βουλῆς Ἄγγελος nuncupatur.[f] Dei igitur Filius, præcellenti quamvis majeſtate et virtute inſignis, nunc *Angelus*, nunc vero *Servus*, et *Apoſtolus* aliquando dicitur.

Objicietur autem fortaſſe, Dominum noſtrum non *Angelum* ſolummodo, *Fœderis* vero et μεγάλης βουλῆς *Angelum* nominari. Quid autem? Id ipſum eſt, quod cum propoſito facit. Quamvis enim Spiritus ille ſanctus et divinus *Angelus* appelletur; ita eſt ſermo ejus, ita erga eum veneratio, ea etiam ſunt de illo Elogia, ut à vulgari Angelorum ordine prorſus diſterminetur. Voces profecto iſtiuſmodi, ad officium ejus ſolum ſpectantes, veræ dignitati ejus nihil adverſantur: gloriam quandoquidem, quam ante mundum conditum habuit, lubens depoſuit, et *Servi ſibi formam induit*; ut Patris negotium gereret, et pacis æternæ impleret fœdus. Mortalia quinetiam noſtra et imbecilla gerens lineamenta, cum indigna fuiſſet plurima perpeſſus, ſævientibus tandem Judæis, gravi turpiſſimoque ſupplicio, (inimicis quippe improbis ſe placide permiſſit) affectus eſt. Talia igitur paſſum quid vetat id muneris ſuſcipere, in quo verſatum eſſe poſuimus? ea agere, quæ aut aliquatenus Judicis ſunt aut fœderis Angeli? illum populum ducere, quem ſui cultûs cuſtodem ſegregavit Deus? cum eo colloquia inire, qui denominatus

[c] Cap. 42. Com. 1.
[d] Cap. 3. Com. 1.
[e] Cap. 4. Com. 14.
[f] Eſai. Cap. 9. Com. 6.

eſt *Amicus Dei*? ea denique potiſſimum conſilia exequi, quæ ad futurum Meſſiæ regnum pertinebant? Philonis autem ſententia, ad Jeſum etſi Meſſiam non ſpectat, totum locum conficit: Τί ἔν ἔτι θαυμάζομεν, εἰ ἀϊγέλοις, ὁπότε ϗ ἀνθρώποις, ἕνεκα τῆς τῶν δεομένων ἐπικουρίας ἀπεικάζεϛαι; [g]

De his jam ſatis dictum eſt: deinceps de Filii Dei *Officio* dicendum. A Filio igitur, Divinitatis freto plenitudine, univerſa fabricata ſunt mundi opera. Jecit ipſe fundamenta terræ, et tanquam velum cœlos intendit: ingentem horum exercitum inſtruxit; et, variis diſpertitis motibus, eundem certis legibus obſtrinxit. Ipſum inſuper omnia, quibus ineſt vivendi vis, magnum ſuum effectorem agnoſcunt, tam ſplendidi Angelorum ordines, quam hujuſce orbis Incolæ: Ἐν αὐϒῷ ἐκϒίσθη τὰ πάνϒα τὰ ἐν τοῖς ὐρανοῖς ϗ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁραϒὰ ϗ τὰ ἀόραϒα, ἔϒε θρόνοι, ἔϒε κυριότηϒες, ἔϒε ἀρχαὶ, ἔϒε ἐξουσίαι· τὰ πάνϒα δι' αὐϒοῦ ϗ εἰς αὐτὸν ἔκϒιϛαι. [h] Nec rerum omnium *Opifex* tantum, verum etiam et *Dux* idem eſt et *Conſervator*: quæ creavit, ordine diſpoſuit; quæ diſpoſuit, ſervat et continet. Dicit enim Apoſtolus, Αὐϒός ἐϛι πρὸ πάνϒων, ϗ τὰ πάνϒα ἐν αὐϒῷ συνέϛηκε. [i] Et præterea alibi, φέρων τὰ πάνϒα τῷ ῥήμαϒι τῆς δυνάμεως αὐϒοῦ. [k] Univerſa comprehendunt Apoſtoli verba; atque ideo univerſam exhibent, non unico quodam rerum genere conſtrictam legationem. Idem ſuggerit Angelus fatalem Eccleſiæ Laodicenſi caſum denuncians: Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, — ἡ ἀρχὴ τῆς κϒίσεως τοῦ Θεοῦ. [l] Dei igitur Filio omnes mundi partes tam continuo adminiſtrari quam initio eſſe conſtitutas manifeſtum eſt.

[g] Vol. 1. p. 656. Edit. Mangey.
[h] Coloſſ. Cap. 1. Com. 16. [i] Coloſſ. Cap. 1. Com. 17.
[k] Hebr. Cap. 1. Com. 3. [l] Apocal. Cap. 3. Com. 14.

Hacte-

Hactenus vero quæ disserui ad gubernatricem ejus Providentiam et conservatricem attinent. Duplex enim quodammodo est Providentiæ genus: hoc, mundum conservans et gubernans, quod potentiæ et sapientiæ est; illud, judicans, quod justitiæ est. Illum etiam *Judicis* munus exercuisse, vel desumpti ex Apostolo loci aliquatenus ostendunt. Id vero exemplis potius, quam iisdem pendentium argumentorum serie visum est posthac confirmare.

Animadvertatis interea velim, cum in seculis versemur Messiæ adventum prægredientibus, Sacram Scripturam Filio auctoritatem attribuere ab ea, in qua nunc est, paulo diversam. Cum imperio nunc perfecto et summo in cœlis versatur; atque suo quasi arbitrio omnia regit, ὅς ἐστιν ἡ κεφαλὴ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας· [m] cœtûs maxime fidelium, suo sanguine redempti, Imperator constitutus et Judex.

Tantum quidem magisterium Illi, brachio ejus allata humano generi salute, Deus contulit Pater. Διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν, ut docet Apostolus, ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· Ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων. [n] Apud Johannem ipse Christus eloquitur; Οὐδὲ γὰρ ὁ Πατὴρ κρίνει οὐδένα, ἀλλὰ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε τῷ Υἱῷ. [o] Daniel etiam vates de eodem Filii hominis imperio ita scribit: *Videbam visionibus nocturnis, quod ecce cum nubibus cœli similis Filio hominis veniebat: deinde usque ad Antiquum dierum pervenit, ut sisteretur ante eum: Et huic datus est dominatus, gloriaque ac regnum, ut omnes populi, nationes et linguæ ei serviant: cujus dominatus dominatus est perpetuus qui non præterit, et regnum*

[m] Coloss. Cap. 2. Com. 10. [n] Philipp. Cap. 2. Com. 9, 10.
[o] Cap. 5. Com. 22.

ejus

ejus regnum quod non corrumpitur. [p] Et Paulus in Epiſtola ad Romanos hanc rem claro lumine ob oculos ponit: Εἰς τῦτο γὰρ Χριςὸς ϗ ἀπέθανε ϗ ἀνέςη ϗ ἀνέζησεν, ἵνα ϗ νεκρῶν ϗ ζώνλων κυριεύςῃ. [q]

Nomen autem Filio proprium, ὁ ΛΟΓΟΣ ſcilicet, officium ejus haud obſcure indicat. *Via* utique nominatur, *Veritas* et *Vita*; ad vitam quandoquidem æternam viam monſtravit rectam et veram: atque alibi *Dei Potentia* et *Sapientia*; Patria utpote ſapientia et virtute pollens utramque mortalibus conſpiciendam dedit. Λόγος itidem nominatur: ſummus enim Patri Legatus ideo in perpetuum eſt conſtitutus, ut, rebus mundi ſimul adminiſtratis, voluntatem ejus panderet, Leges promulgaret, ſententiam diceret.

Iſtiuſmodi autem nomen ad Evangelii *ſolam* promulgationem minime ſpectat. Philo quippe, tam gente quam religione Judæus, qui ſub ipſis Chriſti temporibus vixit, de *Verbo Dei* ſicut de internuncio ejus et vicario loquitur: τὴν τῦ Θεῦ, dicit, εἰκόνα τὸν ἌΓΓΕΛΟΝ ἀὐτῦ ΛΟΓΟΝ, ὡς ἀὐτὸν καλανοῦσι. Et alibi; ὡς ποιμὴν ϗ βασιλεὺς ὁ Θεὸς ἄγει (τὸν κόσμον ſcilicet) καλὰ δίκην ϗ νόμον, προςησάμενος τὸν ὀρθὸν ἄὐτῦ ΛΟΓΟΝ, πρωτόγονον Ὑιὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταὐτης ἀγέλης, διά τις μεγάλυ βασιλέως ὕπαρχος, διαδέξεται. [r]

Sed et liber Sapientiæ Solomonis, cujus quidem ferunt Philonem fuiſſe auctorem, Verbum perinde ac potentem actorem divinum memorat. [s] Johannes præterea dicit, ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, ϗ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· [t] hoc eſt, divina illa perſona, quæ Deo Patri in principio aderat, cuique no-

[p] Cap. 7. Com. 13, 14. [q] Cap. 14. Com. 9.
[r] Vol. 1. pag. 656, 308. [s] Cap. 18. Com. 15. [t] Cap. 1. Com. 14.

men

men fuit proprium Λόγος Θεῦ, hominibus ſe tandem in carne monſtravit, atque inter eos poſuit tentorium.

Simillimum autem veri eſt, quod quidem minime nobis eſt prætereundum, Philonis de τῦ Λόγυ miniſterio ſententiam nec obſcuram, nec novam; apud ſacrarum vero literarum peritos vulgarem fuiſſe, à Patribus acceptam, à Moſe confirmatam. Cum Philone utique, qui Moſen opinionis ſuæ teſtem citat, ita ſaltem conſentit Joannes, ut Λόγον Filium nuncupet et rerum opificem. Cæterum haud dubium eſt, quin nomen illud apud Judæos notum ſit: manifeſtum enim eſt tam Apoſtolum quam Philonem perinde ac uſitatum proferre. Vocem autem, cauſa ejus latente, ſolam eſſe notam difficile ſane eſt cogitatu. Multimodis profecto Philoni aſſentiunt Scriptores ſacri: præ omnibus vero Paulus Apoſtolus, ſcriptis Moſaicis adprime eruditus et patrum traditionibus. Λόγος dicitur Dei filius; Φῶς etiam, Ἀρχὴ et Θεῦ Εἰκών: iiſdem nominibus eundem inſignit Philo. [u] Ad hæc præcipue Judæi verba animadvertite: σπεδαζέτω κοσμεῖσθαι καλὰ τὸν πρωτόγονον αὐτῦ Λόγον, τὸν Ἄγγελον πρεσβύταλον, ὡς Ἀρχάγγελον πολυώνυμον ὑπάρχονλα· ἡ γὰρ Ἀρχὴ, ἡ Ὄνομα Θεῦ, ἡ Λόγος, ἡ ὁ κατ' εἰκόνα ἄνθρωπος, ἡ ὁρῶν Ἰσραὴλ, προσαγορεύεται. [x] Mira ſane conſenſio Scriptorum, ſi cætera ſpectemus, longo à ſe invicem intervallo diſſitorum! Unde igitur fit? Nonne quod ex iiſdem fontibus dogmata ſua, atque iis conſentanea nomina, utrique aliqua ex parte hauſerunt? dogmata quidem, quæ non rationis humanæ, ſed potius ſapientiæ ſunt divinæ. Si poſitum igitur ſit talem de Verbo divino, qualis eſt Philonis, apud Judæos percrebuiſſe opinionem, Patribus traditam, a Moſe confirmatam; ejus

[u] Vol. 1. pag. 6, 308, 414, 427, 561, 632. [x] Vol. 1. pag. 427.

et

et Apoſtolorum inter ſe conſenſio facilis eſt explicatu, alioquin perdifficilis: quod quidem, ſi ita eſſet, tantum non quæſtionem concluderet.

Evangelii præterea ſui principium à Chriſti natura Joannes ſumit, et quo prius functus eſt munere quàm carne indutus terras viſit. In Principio docet Deo Patri adeſſe Verbum, Deum et ipſum eſſe et mundi effectorem. Dicit etiam, ἐν αὐτῷ (ἐν τῷ Λόγῳ ſcilicet) ζωὴ ἦν, *i. e.* omnium quæ ad vitam beate agendam et felicitatem æternam conducunt fons erat et largitor.

Mortalibus etiam inſcientiæ tenebris et miſeriæ coopertis divino aliquando lumine affulſit, refrigerans animos, et quæ ſalutis ſunt commonſtrans: ideoque ſcriptum eſt, ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων. Totus nequaquam ſpectat Joannes, aliquatenus tamen, ad ultima mundi ſecula et vitam illam immortalem, quam expoſuit Deus prædicato Evangelio. Verbum divinum revera ſemper *erat* Lux et Vita: Ipſo duce, voluntatem ſuam et benevolentiam ab initio Deus patefecit. *Certo* utique quodam tempore conſtringantur verba non neceſſe eſt; ſi tamen *ullo*, primis certe ſeculis, Meſſiæ adventu antiquioribus. Scriptionis ratio hoc monet et verborum vis. Ex quibus apparet, narrationem ſuam ab iis ordiri Apoſtolum, quæ ad Chriſtum pertinent; Filius quatenus ſit et Dei Verbum, non Meſſias tantum et Filius hominis; atque appellata dicta exordium narrationis ex parte conſtruere. Eadem etiam propemodum declarat ita ſcribens Apoſtolus: Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, καὶ ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο· καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον.[y] Quæ quidem ſic licet interpretrari: " Mundum fabrica-

[y] Joan. Cap. 1. Com. 10, 11.

vit,

vit, eidem etiam aderat humana adminiſtrans Verbum; miſeris opem ferens, et ſalutem veritatis etiam ignaros inſtruens. In vitia tamen pronum humanum genus virtutis cœleſtis indicia neglexerunt, Dei pariter et providentiæ ejus oblitum."

His olim peractis, ſuos, Judæos ſcilicet, quorum antehac Dux fuiſſet et Conſervator, in figura hominis et conditione mortali tandem viſit. Judæi vero, ſe quanquam Dei Filium eſſe et Legatum tum demum palam docuit, et poteſtatem cœleſtem miris modis demonſtravit, et Ipſum et diſciplinam ejus reſpuebant.

Cum autem huc perducta ſit diſceptatio noſtra; exempla quædam proferam, quibus et id quod poſitum fuit et præcedens argumentorum ſeries probari et confirmari poſſint.

Verbum igitur divinum Prophetis viſum fuiſſe certiores nos facit Eſaias. Capite etenim ſexto vaticinii ejus ſcriptum eſt; *Dominum aſpexi ſolio excelſo inſidentem, et radians ejus Gloria Templum complebat. Superne ſtabant Seraphim — et alternis canebant,*

Sanctus, ſanctus, ſanctus Jehovah Exercituum!
Gloria ejus plena eſt univerſa Tellus.

Et ſubinde; *Hei mihi! perii, qui, quum ipſe homo ſim immundis labiis, Regem Jehovah Exercituum oculis meis viderim.*[z] Vati poſtea hæc præcepit Jehovah; *I nunciatum iſti populo in hunc modum: Audite indeſinenter, at non intelligetis; Videte indeſinenter, at non cognoſcetis. Fac ut pingueſcat cor populi iſtius, et aures fac ingraveſcant; oculi ejus fac conniveant: ne videat oculis ſuis, et auribus ſuis audiat,*

[z] Com. 1, &c.

et corde ſuo intelligat, ſeque convertat, et ſanitas obveniat ei.[a] Quæ Judæorum præmonſtrant pervicacem ſane indolem et incredulam. Chriſti autem gloriam, qui gloriæ eſt Patriæ ſplendor, Eſaiam aſpexiſſe quo tempore ei talia a Deo demandata ſunt, Joannes affirmat. De Judæorum enim pertinacia, teſte citato Eſaia, ita locutus eſt: Διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν, ὅτι πάλιν εἶπεν Ἡσαΐας, Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν· ἵνα μὴ ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ νοήσωσι τῇ καρδίᾳ, καὶ ἐπιστραφῶσι, καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. Ταῦτα εἶπεν Ἡσαΐας, ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ καὶ ἐλάλησε περὶ αὐτοῦ.[b]

Hoc autem annotandum eſſe exiſtimavi; Vatem, gloriam Verbi cum aſpexerit patriam auctoritatem induti, oculos ſuos Regem Jehovah Exercituum vidiſſe nihilominus dicere. Eadem comprobat Ezeckiel gloriæ Jehovæ, quam vidit, ſimilitudinem magnifice depingens. *Super ſimilitudine*, dicit, *Solii ſimilitudo erat, quaſi aſpectus hominis, ſuper illo ſuperius. Vidi inſuper quaſi ſpeciem prunæ, juxta ſpeciem ignis, intra illam circumcirca, ab aſpectu lumborum ejus et ſurſum: ſed ab aſpectu lumborum ejus et deorſum vidi quaſi aſpectum ignis cui ſplendor circumcirca. Sicut eſt aſpectus Iridis*[c] *quæ eſt in nube die pluvio, ſic aſpectus ſplendoris circumcirca: hic aſpectus eſt ſimilitudinis gloriæ Jehovæ. Quam cum viderim, ſuper facies meas cecidi et vocem audivi loquentem*;[d] vocem ſcilicet ejus, quam ſolio inſidentem aſpexit Propheta. Figura humanæ ſimilis cum Danielis viſione conſentit, qui ſpectabat *per nocturna viſa quendam*

[a] Com. 9, 10. [b] Cap. 12. Com. 39, &c.
[c] Confer cum his et quæ Apocal. Cap 4. Com. 2, 3, occurrunt.
[d] Cap. 1. Com. 26, &c..

tanquam hominis Filium in nubibus cæli venientem. Viſione autem Danielis repræſentatus erat Chriſtus. Quod quidem Dominus noſter ipſe confirmat: Sacerdoti enim ſummo, quis ſit ſciſcitanti, ita reſpondet; Πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν Υἱὸν τῦ ἀνθρώπυ καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, κὴ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τῦ ὐρανῦ.[e] Hoc audito, veſtimenta ſua laceravit Sacerdos, et Chriſtum impietatis incuſat. Maximè veriſimile eſt, Chriſtum ad Danielis viſum, quod Judæi Meſſiæ ſimilitudinem interpretati ſunt, reſpicere, atque ſua vindicare; et propterea Sacerdotem ſummum vehementer illi ſuccenſere. Speciem vero hominis ideo gerebat Verbum, ut futurum ſuum in terram deſcenſum, humana ſuſcepta figura, præſignificaret.

Viſum præterea eidem Vati oblatum eſt ad ripas fluminis Ulai. Et *audivit*, ita enim Prophetæ verba nonnulli interpretantur, *unum ſanctum loquentem; qui ſanctus loquentem quendam interrogabat.*[f] Commode autem magis interpretantur alii; *audivit unum ſanctum loquentem; atque* Illum qui Arcana numerat (vel *mirabiliter numerat*) *interrogabat.* At LXX quidem Interpretes verba hac ratione convertunt: Καὶ ἤκουσα ἑνὸς ἁγίου λαλῦντος· κὴ εἶπεν εἷς ἅγιος τῷ ΦΕΛΜΩΝΙ τῷ λαλῦντι. Verbum Φελμωνὶ, (cujus vim *Arcana numerans*, vel *mirabiliter numerans*) alii interpretantur, hi in alia non convertunt; deſcribunt autem mutatis ſolummodo literis. Liquet inſuper ipſum qui Φελμωνὶ dicitur in auctoritate eſſe: quidam enim ſanctus ab illo petiit ut obſcura quædam illuſtraret: id quod interpretationem nominis memoratam ſancire videtur. Quis autem eſt ille qui Arcana numerat, niſi μεγάλης βυλῆς ἄγγελος, et *Con-*

[e] Mat. Cap. 26. Com. 64. [f] Dan. Cap. 8. Com. 13.

filiarius admirabilis? quis niſi ὁ μονογενὴς Υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός; [g]

Viſione adhuc apud flumen Hiddekel Danieli repræſentatus erat *Vir quidam lino veſtitus, lateribus auro ſuccinctis; Corpore chryſolitho ſimili, facie fulguris in modum coruſca, oculis ignearum facium ſimilibus, brachiis pedibuſque reſplendentis æris ſpeciem referentibus: talis autem erat verborum ſonus qualis eſt ſonus multitudinis.* [h] Qui ſit vir docet Liber Apocalypſeos: Καὶ ἐπιστρέψας εἶδον ἑπτὰ λυχνίας χρυσᾶς· Καὶ ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιον Υἱῷ ἀνθρώπου, ἐνδεδυμένον ποδήρη, καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μαστοῖς ζώνην χρυσῆν. Ἡ δὲ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών· καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς φλὸξ πυρός· Καὶ οἱ πόδες αὐτοῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι· καὶ ἡ φωνὴ αὐτοῦ ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν. [i] Illum aſpexit Joannes, qui ſeipſum hac voce prædicavit; Ἐγὼ εἰμι ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, Καὶ ὁ ζῶν—καὶ ἔχω τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου καὶ τοῦ θανάτου. [k] Eundem igitur vidit et Daniel Propheta; quæ utrique ſiquidem Prophetæ objiciuntur viſa plurimum inter ſe conſentiunt. Paulus præterea Apoſtolus talia de Chriſto locutus eſt, ut ea ex his vel ſimilibus viſis derivata videantur: Chriſtum enim ἐν μορφῇ Θεοῦ extitiſſe affirmat; ipſum etiam nuncupat Εἰκόνα τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου.

Apud Exodi porro librum ita ſcriptum eſt: *Apparuit* Moſi *Jehovæ Angelus in flamma ignis de medio rubo — Et*

[g] Joan. Cap. 1. Com. 18. Non poſſum profecto quin putem LXX Interpretes Judæis morem geſſiſſe, qui verbum Φελμωνὶ *occultum* eſſe exiſtimarunt. Quod ſi ita ſit, probabile eſt ſanctum illum Φελμωνὶ ipſum eſſe de quo hæc dicit Joannes apud librum Apocal. Cap. 19. Com. 12. ἔχων ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτός.

[h] Cap. 10. Com. 5, 6. [i] Cap. 1. Com. 12, &c. [k] Com. 17, 18.

ubi vidit Jehovah eum ad ſpectandum accedere, clamavit ad eum Deus de medio rubo — et dixit, ne huc appropinqua: detrahe tibi calceos de pedibus; nam locus, cui inſiſtis, ſacra terra eſt. Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Jacobi. — hoc meum nomen ſempiternum; hoc mei in omnem æternitatem monumentum eſt.[1] Moſi idem Jehovah perpetuo adfuit, dum in Ægypto verſati erant Iſraelitæ: egreſſos porro Ægypto Iſraelitas interdiu nubis, nocte vero columna ignis, præſentis Jehovæ ſignum, præceſſit. Illos autem juxta mare caſtra metatos Ægypti rex, tot hominum millia regno ſuo excedere graviter ferens, contractis copiis propere inſequitur. Iſraelitas igitur, tanto conſpecto exercitu, gravis timor invaſit; et Jehovam invocabant, ut opem ferret. Virga deinde Ducis, jubente Domino, percuſſum mare diſcinditur; atque undæ utrinque cedentes viam, qua tuto liceat tranſire, patefecerunt. Ingreditur populus: inſectantur Ægyptii. At Jehovah, vigilia matutina e columna hoſtium copias conſpicatus, turbavit; et, detractis curruum rotis, iter impedivit: nec fugere liceat; fluctibus quippe ſubito redundantibus, ponto ſubmerguntur. Perditis Ægyptiis, ad montem Sinai tandem perventum eſt; in cujus cacumen Moſi indicavit Jehovah fore ut tertio die cœleſti apparatu deſcenderet: populum interea luſtrare jubet, et in ſolenne ſpectaculum pararet. Tertio autem die, en! montis verticem obtegens nubes denſiſſima: tonitrua deinde vehementia, fulgura, et Tubæ clangor: fundamenta etiam montis valido concuſſa ſunt terræ motu. At, crebreſcente tubæ clangore, alloquenti Moſi voce re-

[1] Cap. 3. Com. 2, &c.

ſpondit

ſpondit Jehovah; varias leges tulit; plurima etiam de Tabernaculo fabricando, de Arca, de ſacrificandi ritu præcepit. Iter autem facientes Iſraelitas perpetuo comitata eſt columna nubis et ignis: eidem ſemper præſens adfuit, uti nos certiores facit rerum geſtarum ſcriptor, Dominus Jehovah. Idem Dominus, qui ſe Moſi in rubo oſtendit, Ægypto egredientibus Iſraelitis, caſtra eorum præceſſit, et Leges ad montem Sinai tulit. Res ille Judaïcas, donec ad terram Cananæam pervenit Populus, adminiſtravit: ab Illo conſilium petierunt; Eundem divinis honoribus Moſes, Sacerdotes, et populus univerſus proſecuti ſunt. Verbum autem divinum itineris Ducem, et rerum Adminiſtratorem conſtitutum eſſe, hac ratione, opinor, probari poteſt. Stephani in primis operæ pretium erit verba perpendere apud Sacerdotem ſummum et populares ſuo concionantis: Οὗτός ἐστιν, inquit ille de Moſe, ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ, μετὰ τοῦ Ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ.[m] Angelus igitur dicitur, qui una cum Moſe fuit in ſolitudine Sinai. Maxime autem veriſimile eſt, Stephani verba ad illum Angelum pertinere, cujus erat ſumma rerum adminiſtrare; cujus ductu et hoſpitio Moſes Eccleſiam in Solitudine ordinavit et regebat.

Vidiſtis quali inſignitus ſit nomine Adminiſtrator ille; quanta ei tributa ſint. Angelum eſſe haud vulgarem neceſſe eſt, quia Judæi illum ſicut Deum coluerunt: Angelo enim, etiamſi ſumma auctoritate prædito, ſacra facere haud licet. Quod quidem luculenter probat Apocalypſeωs liber: Joannes enim, præ grati animi lætitia, cum Angelum tanta et tam præclara monſtrantem adorare

[m] Act. Cap. 7. Com. 38.

vellet,

vellet, ab eodem bis reprehenditur. Scriptum enim eſt; Καὶ ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ· ὁ λέγει μοι, Ὅρα μή· σύνδουλός σε εἰμὶ καὶ τῶν ἀδελφῶν σε τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν τοῦ Ἰησοῦ· Τῷ Θεῷ προσκύνησον.[n] Hæc verba, Θεῷ προσκύνησον, qualis ſit Angelus ille a Stephano memoratus ſatis indicant.

De eodem item Angelo locutus eſt Vates Eſaias, clementiam Dei et amorem erga Judæorum majores commemorans: cujus quidem hæc ſunt verba; *Quotieſcunque anguſtiis premerentur ii, afflictus erat et Ipſe; et Angelus faciei ejus ſervavit eos: Ob amorem ſuum et indulgentiam hic redemit eos: Aſſumpſit eos, et portavit omnibus diebus æternitatis.*[o]

Pauca vero commodum erit adferre, quæ quidem, cum dictorum Vatis principium et cauſam continere videantur, et ſententiam ejus plenius explicatam dabunt, et rem totam quam agimus conficient; ſi modo vocem, *Hic*, uti cenſet Vitringa, ad Angelum faciei Jehovæ referre fas ſit.

Moſe igitur in monte Sinæ diu immorante, Populus vitulo ex metallis conflato hoſtias obtulit. Tanto autem facinore commotus graviter Jehovah Moſi denuntiat, nolle ſe amplius Iſraelitas comitari; Angelum vero miſſurum eſſe, qui eorum procurationem haberet, et Cananæos e terra ſua expelleret. Deprecante tamen Moſe ab ira ceſſavit, hæc ſimul benigne annuncians;

Facies meæ ibunt (tecum) donec quietem dedero tibi.[p]

Moſes quoque ſic loquitur; *Ideo vos ex Ægypto eduxit*

[n] Cap. 19. Com. 10. vide et his ſimilia ad Cap. 22. Com. 8, 9.
[o] Cap. 63. Com. 9. [p] Exod. Cap. 33. Com. 14.

Jeho-

Jehovah Facie ſua, quod veſtros patres diligeret.[q] Itidem igitur Eſaias dicit, *Angelus Faciei ejus ſervavit eos*; Angelus utique ille qui ἐν μορφῇ Θεῦ extitit, qui Εἰκὼν eſt τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου — ἀπαύγασμα τῆς δόξης (τοῦ Θεοῦ), καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτοῦ.

Iſraelitas præterea, dum iter fecerint, a Deo defeciſſe, atque ideo ſerpentum morſu interiiſſe, a Moſe traditur. *Dicebat populus*, inquit ille, *contra Deum et contra Moſen — quapropter immiſit in populum Jehovah preſteres ſerpentes.*[r] Paulus autem Apoſtolus ad Corinthios ſcribens eoſdem ſic exhortatur; Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριςὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὀφέων ἀπώλοντο.[s] Cum igitur affirmat Paulus Iſraelitas Chriſtum tentâſſe, manifeſtum eſt Chriſtum fuiſſe rerum Judaïcarum adminiſtratorem.

Apoſtolus porro ad Hebræos ſcribens, eos ſolicite adhortatur ut Chriſto et diſciplinæ ejus obtemperare velint, argumento ex Chriſti dignitate et præſtantia derivato: βλέπετε, dicit, μὴ παραιτήσησθε τὸν λαλοῦντα. εἰ γὰρ ἐκεῖνοι οὐκ ἔφυγον, τὸν ἐπὶ τῆς γῆς παραιτησάμενοι χρηματίζοντα, πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς οἱ τὸν ἀπ' οὐρανῶν ἀποςρεφόμενοι, Οὗ ἡ φωνὴ τὴν γῆν ἐσάλευσε.[t] Τὸν ἀπ' οὐρανῶν Chriſtum denotant; atque ad iſta verba Vocem Οὗ referre oportet.

Legatum hunc etiam, divinum redemptorem ſuum et ducem perpetuum, ut Joſephi filiis benedicat, Jacobus jam moriturus aperte precatur. *Deus*, inquit, *in cujus conſpectu inceſſere patres mei, Abrahamus et Iſaacus, Deus qui continuo in hunc uſque diem paſtor fuit meus*; Angelus *qui me ex omni malo eripuit, pueris benedicat.*[u]

[q] Deut. Cap. 4. Com. 37.
[r] Num. Cap. 21. Com. 5, 6.
[s] 1 Cor. Cap. 10. Com. 9.
[t] Cap. 12. Com. 25, 26.
[u] Gen. Cap. 48. Com. 15, 16.

Idem

Idem præterea apud Abrahamum præſens fuit. Ad oſtium enim tabernaculi cum forte per diei æſtum ſederet, tres Homines (revera tamen *Angeli*) ad eum acceſſerunt, quos ſubmiſſe ſalutatos hoſpitio accepit: appoſitis autem dapibus conſedere hoſpites. Tum ex iis unus Abrahamum compellat, annunciatque ſe eum reviſuram eſſe, et filio donaturum; id quod Jehovah Abrahamo antea promiſerat.[y] Irridentem vero Saram Angelus, qui quidem Jehovah nuncupatur, objurgat; atque eadem ac prius fidenter affirmat. Menſis deinde remotis, duo quidem Angeli verſus Sodomam iter fecerunt: Angelus autem ille, cui nomen eſt Jehovah, apud Abrahamum moratus eſt; et cum illo de futuro Sodomæ et vicinarum urbium excidio colloquium inivit, et facto tandem cum Abrahamo loquendi fine deceſſit. Notatu inſuper dignum eſt, Abrahamum Dominum et totius terræ Judicem inter colloquendum illum appellare. Moſis autem ipſius verba commodum erit citare, utpote quæ unum præcipue ex Angelis, quos Abrahamus hoſpitio accepit, ita appellari omnino probant. Hujuſmodi autem ſunt: *Et dixerunt*, (Angeli) *ubi eſt Sara uxor tua? quibus Abrahamus, in Tabernaculo. Dixit autem*, (id eſt Angelus Jehovah dixit), *certe revertar ad tè ſecundum hoc tempus vitæ, et filius erit Saræ uxori tuæ.—Sara vero his auditis ridebat.—Tum Jehovah Abrahamo, quare ridet Sara?—ſtato tempore revertar ſecundum hoc tempus vitæ, et Saræ erit filius. Homines poſtea inde conſurgunt, et ad Sodomam ſe convertunt: quos cum Abrahamus deducendi gratia comitaretur, Jehovah ſic loquitur, Egone Abrahamum celem quod ſum facturus?—Atque iterum homines abibant inde Sodomam verſus* (duo nimirum; apud Capitis enim ſubſequentis initium ſcriptum eſt, Angelos

[y] Gen. Cap. 15. Com. 4.

duos ad Sodomam veſperi perveniſſe): *Abrahamus vero adhuc ante Jehovam ſtabat. Et etiamne bonos, inquit, una cum improbis perdes? abſit, ut, qui totius terræ eſt Judex, is æquitate non utatur.*[z]

Narrationis igitur ordo et ſubſequentis Capitis principium *Angelum* et Jehovah et totius terræ Judicem nuncupari; ideoque ΛΟΓΟΝ eſſe divinum fortiſſimo ſane argumento comprobant.

Dei igitur Filius Legem ad montem Sinai promulgavit; Judæorum Dux erat perpetuus; et rerum ad eoſdem ſpectantium adminiſtrator.

ΛΟΓΟΣ denique cum Adamo et uxore ejus collocutus eſt; Dei Patris mandata declaravit, et in reos ſententiam dixit. Cum amborum enim effector fuerit, probabile eſt, per ſomnum homini, dum fœminam fingeret, et oblatam et notam fuiſſe ipſius ſimilitudinem. Idem autem Dominus Jehovah, qui et hominem et fœminam finxit, hortum ornavit, illos in eodem collocavit, et leges ſuper vitæ et ſcientiæ arboribus tulit. Nec dubium eſt quin ejuſdem Domini vocem, notiſſimam quidem, audiverint, ruptum ipſis imputantis fœdus, et quæ Judicis ſunt peragentis.

Hæc putavi eſſe dicenda, quæ quidem id quod propoſitum fuit, de quo diſſeramus, dijudicare videntur; et perſpicue comprobare,

Chriſtum Legatum ſummum Dei Patris deſignatum, mundum ab omni ævo adminiſtrâſſe: Patriarchis autem et Prophetis viſum temporibus diverſis, modis variis Patris voluntatem indicâſſe, et conſilia ejus peregiſſe.

[z] Gen. Cap. 18. Com. 1, &c.

FINIS.